

VII.

Beitrag zu der Monographie des adlichen **Gutes Alt- und Neu-Aßsen** im Fürstenthum Münster.

Mitgetheilt
von
Dr. F. S. Gehrken.

Die Veränderungen, welche der altsächsische Haupthof der Immendinger, Honsel im Kirchspiele Lippborg, seit acht Jahrhunderten erfahren hat, nachdem derselbe von dem letzten zu dem Wittekindschen Stamme gehörigen Familiengliede, dem Paderborner Bischofe Meinwerk, veräußert, und dem neu bei seiner Cathedralkirche auf der Dingstätte des Padergaus errichteten Kloster Abdinghof überwiesen worden (i. J. 1015.) sind in den Münsterischen Beiträgen 3r Th. Seite 413 von Kindlinger beiläufig erwähnt, und unter andern auch dieser Amtshof zum Belege seiner Behauptung, daß vor dem 13. Jahrhunderte keine Ritterfamilie in Westfalen ein Schloß oder eine Burg eigenthümlich oder Lehnsweise besessen habe, angezogen.

Wie indessen unter kaiserlichem Schutze der Kloster-Verwaltung des Abdinghofes in der Stadt Paderborn die Verhältnisse des Amtshofes Honsel sich im Laufe der Zeiten ausgebildet haben, und die Inhaber dieser Grundgüter mit

ihren jährlichen bestimmten und unbestimmten Leistungen nebst dem darauf errichteten Schlosse Assen später Lehnsmannen der ansehnlichen Abdinghofer Cammer, und zuletzt unbeschränkte Eigenthümer des Ganzen geworden sind, ist aus nachstehender Urkunde vom 14. Februar 1663 im Wesentlichen zu ersehen, in welcher Papst Alexander VII. dem Bischof von Paderborn, Ferdinand II., aufträgt, die von dem Abte des Klosters Abdinghof und Heinrich von Galen eingeleitete Veräußerung des Schlosses und Gutes Assen zu vollziehen *). Dieselbe ist, so viel uns bekannt, noch nicht veröffentlicht, und verdient in mancher Beziehung die Beachtung der Geschichts-Freunde Westfalens, da aus ihr nicht nur der Ursprung unserer Burgen und Schlösser, sondern auch die große Sorgfalt der geistlichen Macht für die Erhaltung des Dotalgutes wohlthätiger Institute in späteren Zeiten hervorgeht.

ALEXANDER P. P. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem!

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius, Leonardus de Becke, Abbas monasterii ss. apostolorum Petri et Pauli Abdinghoff nuncupati, civitatis Paderbornensis ordinis s. Benedicti, quod familia de Ketteler, inter Germanicas nobilis, a multis annis retro praedium,

*) Aus dem Fürstbischöflichen Kopialbuche, mit dem Jahre 1661 anfangend. Fol. 73 u. fg.

sive curiam, seu officium in Honsel cum suis pertinentiis in dioecesi Monasteriensi positis, ab Abbatे dicti Monasterii, pro tempore existente, in feudum recognovit. De ejus praedii, seu curiae Honselanae pertinentiis fuit praedium quoddam, in Assen dictum, in quo succedentes de dicta familia tandem constituerunt castrum, quod ab inde in investituris, seu illarum renovationis literis pro capite feudi illius, praedium vero Honselanum è contra pro pertinenti aliquo istius castri Assensis habitum fuit. Divisa autem deinde hac familia in duas lineas, adiecit una earum castro priori aliud castrum Assense novum, admodum splendidum et sumptuosum, ita ut una dictae familiae linea de castro veteri et altera de novo deinceps investita inveniatur. His ita constitutis, fuit ex linea investitorum de castro novo in vivis Wilhelmus de Ketteler, cui quum nulli essent filii, sed tantum filiae, ceterum tamen tam ex patruo, seu fratre, patrue lis seu nepos, nomine Joannes agnatus proximus, quam ex patruo magno, atque etiam ex linea investitorum de castro veteri agnati diversi, singuli alia sua castra habentes et inhabitantes, adhuc essent superstites, idem Wilhelmus fecit se suasque filias ab illius temporis Abbatе de castro novo investiri, ipso que Wilhelmo defuncto ejus filiae castrum occuparunt, et pro se denuo investituram obtinuerunt, dictis agnatis exclusis. Hujus Wilhelmi filia, Ottilia nomine, nupsit cuidam Conrado de castro veteri, atque utrumque quidem castrum coniunctim cum marito tenuit, vetus autem illud castrum, (quod jam ante parentes Conradi, obtento alio castro in Sithen, et quia bona etiam eidem castro veteri annexa a creditoribus detinebantur, inhabitare desie-

rant) factum demum est ruinosum et inhabitabile. Et hi quidem Conradus et Ottilia conjuges sine prole decesserunt, altera vero filia dicti Wilhelmi, nomine Eva, nupsit Gosivino de Ketteler ex Hovestatt, qui ex linea castri novi et ipsius Eva (non tamen in gradu prohibito) cognatus, nec ad successionem in feudo castri novi hujusmodi agnatus proximus erat. Iste Gosivinus proinde castrum novum incoluit, vetus autem inhabitatum reliquit, bona tamen ad vetus illud castrum spectantia plurima ex manu creditorum redemit, et post se natum Gosivinum Conradow in vivis reliquit. Qui Gosivinus Conradus cum ante aliquot annos pariter sine prole discessisset, vidua et sorore ejus supertitibus, eadem vidua dicta castra cum bonis tam castri veteris, quam novi occupavit, illa omnia pro dotali suo interesse et donec illud solutum foret, retentura. Unde dilectus filius Godefridus de Heiden, qui dictam Goswini Conradi sororem superstitem habet conjugem, putans ob redemptionem honorum castri veteris ex manu creditorum, à praedicto Gosivino socero suo factam, item ob sumptus in aedificationem castri novi, ab uxoris suae maioribus impensos, pluris sua quam viduae dicti Goswini Conradi interesse, possessionem dictorum castrorum et honorum nancisci; convenit cum eadem vidua de certa pecuniae summa pro interesse praetenso ei praestanda, ipsaque vidua contemplatione promissionis summae pecuniariae hujusmodi eidem Godefrido omnem possessionem, quam adepta fuerat, cessit. Cumque hoc facto, dilectus etiam filius, Toparcha de Wendt eandem possessionem occupare tentaret, ex eo, quod eius genitrix ex praedicta linea castri novi descendisse reperiebatur, et dilectus quo-

que filius Rutgerus de Ketteler de castro Sithen ex supra memorati Conradi de castro veteri, qui Ottiliam de castro novo duxit uxorem, fratre Wilhelmo descendens, uti agnatus ad successionem in castro veteri proximus, possessionem huiusmodi saltem quoad castrum vetus eiusque bona assequi praetenderet, et eandem saltem quoad castrum novum eiusque bona pariter sibi assereret, dilectus filius Toparcha Ketteler ex Heringen, tamquam agnatus proximus ad successionem in eo castro vocatus, Praefatus vero Rutgerus de Ketteler dictum Leonardum Abbatem in auxilium et litis consortium vocasset, ut secum staret pro successione masculina, possessio in judicio summiſimo Godefrido de Heiden supra dicto adjudicata fuit. A quo decreto iidem Leonardus Abbas et Rutgerus appellarunt, convenitque inter appellantes de lite contra dictum Godefridum de Heiden et Toparcham de Wendt simul, ipsius quidem etiam Abbatis sub nomine, sumptibus vero ejusdem Rutgeri prosequenda, pro Toparcha Ketteler de Heringen in lite huiusmodi quoque interveniente. Qua lite pendente dictus Godefridus de Heiden, cum non haberet, unde supradictae viduae Goswini Conradi summam promissam solveret, castra cum bonis de manu creditorum redemptis, dilecto pariter filio Henrico de Galen, Toparchae in Bispink, Romberg et Ottenstein ac praefecto in Vechta, pro certa summa inter eos conventa tradidit. Unde processus etiam in eundem Henricum de Galen per viam mandati revocatorii alienationis hujusmodi, uti ob vitium litigiosi non existentis à Leonardo Abate et Rutgero praedictis directus fuit. At memoratus Godefridus de Heiden pro dicto Henrico de Galen in hoc pro-

cessu interveniens, praetendit praeter castri aedificiorumque impensas, uti feudi illius meliorationes, adhuc summam centum viginti millium imperialium monetae illarum partium in redemptionem bonorum erogatam sibi deberi, et pro illis feudum, licet aperatum censeri deberet, retinere ac consequenter illud alteri pro eadem praetensione cedere sibi licere et licuisse, et proinde talem cessionem vitio litigiosi minime infectam esse. Hoc processu ita stante, dictus Rutgerus de Ketteler transegit cum praedicto Toparcha Ketteler ex Heringen de praetenso eius jure castri novi in se transferendo pro certa summa, quae tandem obtenta lite solvi deberet. Dictus vero Henricus de Galen praedicto Leonardo Abbati, ut is a lite desisteret, pro ipsius Abbatis directo dominio feudi praedicti in se quoque transferendo notabilem et monasterio supradicto multis partibus lucrosiorem et fructuosiorem pecuniarum summam, quam ipsum dominium directum feudi huiusmodi unquam valuebit, aut valere possit, nempe septem millia imperialium, monetae praedictae, praeter arrham aliorum trecentorum imperialium similium, obtulit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicto monasterio ex feudo praedicto, quod (ut asseritur) minime jurisdictionale existit, non nisi octo floreni aurei monetae earundem partium, qui decem scuta monetae Romanae vel circiter constituunt, annuatim praeter hospitationem binam per annum Abbati, ad bona monasterii in partibus Geldriae consistentia eunti, loco servitorum debitam, sed ab immemorabili tempore non praestitam, provenerint, redditus vero annuus bonorum ex pecuniis oblatis huiusmodi in utilitatem monasterii praedicti emendarum ad summam

ducentorum quinquaginta et amplius florenorum aureorum similium ascensurus sit. Hisque perpensis, atque etiam mature considerato, quod nulla, vel non nisi valde remota aperturae dicti feudi spes affulgeat, et quando aperturae hujusmodi locus fieret, difficile, si non impossibile foret, bona sub investituris feudalibus praedictis comprehensa determinare. Quin imo expensae meliorationum per vasallos factarum illorum heredibus refundendae forent eaque super re longae difficilesque lites enasci possent. Ipse Leonardus Abbas oblatam à memorato Henrico de Galen transigendi conditionem, uti praedicto monasterio utilissimam, acceptandam esse existimaverit, hujusque conditionis transigendi utilitatem etiam dilecti filii monachi conventus ejusdem monasterii agnoverint, sed propter contradictiones et oppositiones supradicti Rutgeri de Ketteler assensum suum alienationi dicti directi dominii ac transactioni hujusmodi non accommodaverint. Ne autem hac de causa obortum eidem monasterio evidens emolumentum elaberetur, sed ut ipsum monasterium dubia lite non sine grandi suo compendio liberaretur, dictus Leonardus ex una et memoratus Henricus de Galen ex altera partibus ad transactionem seu concordiam super lite, ut praefertur, pendente (reservato tamen nostro et sedis apostolicae beneplacito sumptibus dicti Henrici de Galen expediendo), inter se deveinerint, qua conventum est, quod quoniam castra supra dicta ad manus tertias non vasalli translata reperiantur, idem Leonardus Abbas totum suum dominium directum et omne jus suum et monasterii sui in dictum castrum et pertinentias feudi illius Assensis dicto Henrico de Galen cedere et in illum

transferre vellet et deberet, prout re ipsa in eventum obtenti beneplaciti hujusmodi cessit et transtulit pro summa septem millium imperialium praedictorum, praeter arham trecentorum thalerorum similium ipsi intra anni spatium post obtentam confirmationem apostolicam hujus transactionis realiter et in grossa argentea vel aurea moneta ab eodem Henrico de Galen tradendorum et in utilitatem monasterii pro stabilibus annuis redditibus aut aliis bonis immobilibus comparandis erogandorum. Praeterea convenit omnia documenta literalia super dicto feudi dominio directo quoquo modo loquentia cum ultima numeratione praedicto Henrico de Galen fideliter extradenda et communicanda esse. Ac pro parte dicti Leonardi Abbatis in eundem eventum fuit renunciatum praedictae litis pendentiae contra memoratum Henricum de Galen haec tenus ventilatae, salvo tamen quod idem Leonardus Abbas neutquam praejudicare intendat cuicunque juri utilis dominii, quod in eodem feudo supradictus Rutgerus de Ketteler in Sithen eadem in lite praetendit, quatenus tamen id proprio suo marte (ex eo, quod eidem Leonardo Abbatii integrum non sit neglectis ab ipso commodis transigendi conditionibus ipsius causa in perpetuum occasione suscepti causam communiter agendi mandati hac ratione sibi damnosus in lite versari) ordinaria via juris prosequi possit et debeat, actis etiam communiter cum eodem Leonardo Abbatii et alias actitatis, quoad ipsum Rutgerum de Ketteler in suo statu manentibus. Obtulit tamen dictus Henricus de Galen ad instantiam praefati Leonardi Abbatis, quod cum dicto Rutgero de Ketteler, super sua praetenzione omnem rationabilem concordiam non sit detrec-

taturus, dummodo idem Rutgerus bonorum amicorum interpositione et aequis mediis se accommodare velit, quemadmodum et idem Henricus de Galen quoque promisit praefatum Leonardum Abbatem cum monasterio suo ratione hujus compositionis contra supra dictum Rutgerum de Ketteler et quosvis praestare indemnen. Ac utraque pars in eventum subsequuturae approbationis apostolicae hujusmodi huic contractui irrevocabiliter stare promisit sub hypotheca respective proprietariorum et monasterii praefati bonorum ubicumque sitorum, et alias prout in scriptura die XXIX. Augusti proxime praeteriti desuper confecta atque a predictis Leonardo Abate, et Henrico de Galen subscripta et utriusque illorum sigillis munita dicitur contineri. Quare iidem Leonardus Abbas et Henricus de Galen asserentes, praemissa in evidentem dicti monasterii cedere et censura esse utilitatem, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper oportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Leonardum Abbatem et Henricum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censemtes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis, et praesertim quod dicta transactio seu concordia monasterio supradicto utilis existat, eandem transactionem seu con-

cordiam inter memoratos Leonardum Abbatem et Henricum de Galen initam, ut praefertur, confectamque desuper scripturam hujusmodi cum omnibus et singulis in ea contentis, alias tamen licitis et honestis dictoque monasterio utilibus et proficiens, auctoritate nostra apostolica confirmes et approbes, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, ac tam consensus conventus et monachorum ejusdem monasterii, quam alios quoslibet juris et facti defectus, si qui desuper quovis modo intervenerint, eadem auctoritate suppleas. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Pauli II. et aliorum romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus ecclesiae non alienandis et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quantum opus sit praedictorum monasterii et ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut pecuniae in executionem transactio-
nis seu concordiae hujusmodi per memoratum Henricum de Galen, sicut praemittitur, praestandae, in actu earum solutionis unico contextu in emptionem tot bonorum stabilium, securorum et fructiferorum ad favorem dicti monasterii et non in alias usus convertantur et erogentur, vel saltem penes montem

pietatis aut aliquam personam fide et facultatibus
idoneam deponantur, inde non amovendae, nisi ad
effectum illas sic convertendi et erogandi. Datum
Romae apud sanct. Mariam majorem sub annulo pis-
catoris die XIV. Februarii mensis Anno MDCLXIII.

Pontificatus nostri anno octavo.

S. Vgolinus.

(Inscriptio:

Venerabili fratri Ferdinandi Episcopo Paderbornensi.)